Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1463
Quelle:
Copyright:

1607. Autorem e nobili nunc extincta Prosapia *Austriaca* 29. annis castra Protestantium secutum in Matris Ecclesiae gremium redivisse, pollentemque otio rustico laborem hunc e Scriptis *Bellarmini*, *Greg. de Valentia*, *Peltani*, *Mart. Becani*, *Jac. Keller*, *Mich. Bentzii*, *Hier. Plati*, *Pistorii*, aliorumque instituisse. *Libris* VII. illum definivit, quorum I. de Primatu Papae, II. de Antichristo, III. de Notis verae Ecclesiae, IV. de Justificatione, V. de Missae Sacrificio, VI. de septem Sacramentis, VII. de reliquis Locis controversis, puta de SS. Invocatione, Purgatorio, libero Arbitrio, Judice controversiarum, Votisque monasticis solide tractat. Perorationem deesse suspicor, nec unquam de hoc *Speculo* typis commisso quidquam comperi.

DCXXXII.

E. 11 Codex chartaceus germ. Sec. XVII. Pagg. 300. f. non una manu conscriptus, quondam D. *Joh. Frid. Mayeri* celebris inter Protestantes Theologi, dein a magno *Leibnitio* Principi *Eugenio de Subaudia* oblatus Spicilegium Operum *Mart. Lutheri* complectitur, cujus Titulum exhibeo: *Der zehende Theil aller Bücher und Schrifften des theuren seeligen Mannes Gottes Doctoris Martini Lutheri, darinnen begriffen etliche Schrifften und Predigten, vom Jahr Christi 1517. biss aufs Jahr 1546. von D. M. Luth. geschrieben, und bissbero in keinerley Tomis gedruckt. Jetzo aber auff Churfürstl. Durchleuchtigkeit zu Sachsen Herrn Johann Georgen des Dritten Gnädigsten Befelch zusammengetragen, Mit einer Vorrede Herrn D. Abraham Calovii Past. und Profess. Theolog. Primarii zu Wittenberg, des Fürstenthumbs Sachsen Gen. Superint. und Consist. Assessoris &c. Joh. VI. Samlet die übrigen* Brocken, *dass nichts umbkomme. Abraham Calovius, D. p. t. Decan.* Infra calamo expressa imitatio Iconis illius, qua in Editionibus antiquioribus Elector *Sax.* et *Lutherus* Christo cruci adfixo adgeniculati visuntur. Subjectum: *Wittembergk. Fol.* altero ejusdem modi *Lutheri* Effigies ad eam adumbrata, quam *Lucas Kranach*, ut habet ἐπιγραφη, anno 1546. *Wittebergae* sculpserat. Additi Versus lat. et germ. in ejus laudem autore J. G. Z. quem *Joh. Godefr. Zeidlerum* interpretor, motus praecipue Literis Codici adjectis, quibus *Joh. Ge. Mansfeldius* a. 1682. 23. *Sept.* mentem Consistorii *Isleb.* exquirit de Opere, quod Vir hic παραδοξος susceperat, quodque non aliud esse putem, quam praesens Spicilegium, quod *Exegetica* varia, *Praefationes*, *Sermones*, *Epistolas*, et alia *Lutheri Polemica* vel olim seorsum edita, vel hic in aliam linguam conversa, aliqua etiam ἀνεκδοτα complectitur, adjectis paene ad singula in margine, quae *Lutheri* Βιβλιογραφιαν illustrant. Ea porro industria, quae olim jam impressa fuere, hic repraesentantur, ut male feriatus

Com-